

281

279

285

275

290

270

330

230

380

180

Ende

Anfang

266

De angulo, ad quem beata Virgo stetit respiciens  
contra domum Cayphae, quando Dominus ibi  
examinabatur.

De illa post haec domo egressi sumus, et in processu ad  
angulum cuiusdam domus venimus, de quo angulo est directe  
aspectus contra januam domus Cayphae, ita quod stans in  
alia parte potest, dum vult caput extendere, ad januam Cay-  
phae respicere, vel solum cum uno oculo, si placet, et ipse a  
nemine potest videri, nisi aliquis sciret, eum retro murum stare  
et occulte ab angulo videre. In illo loco dicunt beatissimam  
Virginem Mariam toto illo tempore occulte stetisse, et contra  
ostium respexit, quo Christus ligatus inductus fuit, volens  
videre, quo tamen ultimate ducendus esset. O cum quantis  
doloribus et lachrymis stetit exspectans ibi beatissima Virgo.  
Quid putas respondisset Virgo, si quis eam interrogasset, cur  
ibi staret, quidve ibi exspectaret? an forte liberationem filii  
de manibus Judaeorum, vel aliud? Ad quem Virgo, scio, inquit,  
quod filius meus ita ingeniosus et facundus est, si ad ordinari  
judicem ductus fuerit, posset se excusare et dimitti,  
sed cum hoc adeo mausuetus et innocens ac taciturnus, sicut  
agnus coram tondente se, non aperiens os suum pro sui excu-  
satione. Est insuper ita dulcis et amabilis, quod omnino spero,  
quod sibi compatiantur, et ad me reducatur. Ideo hic plena  
anxietatibus sto, ut finem videam, quo ducatur: si ad vitam,  
victura secum; si ad mortem, moritura secum exibo. Dicunt  
etiam devoti, quod Petrus negato Domino, dum cum ejulatu et  
fletu domum exiret, venit ad angulum illum, nec poterat Vir-  
gini loqui prae verecundia et dolore, nec Virgo sibi, et eucurrit  
ad specum, de quo supra habitum est. Hunc ergo angulum  
deosculati sumus et indulgentias recepimus (†).

De loco decollationis S. Apostoli Jocobi majoris ab  
Herode Agrippa.

Circa praedictum angulum vertimus dorsum ecclesiae Syon,  
et per vicum longum processimus contra occidentem, per mul-  
tas ruinas murorum magnorum: et iterum ad unam domum,